

**Dissertatio medica inauguralis de scrofula ... / eruditorum examini subjjcit
Petrus Hennis.**

Contributors

Hennis, Peter, 1801?-
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k78n2e3t>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(15.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCROFULA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PETRUS HENNIS,

Hibernus,

A. B. TRIN. COL. EBLAN.

“ Multæ et dirissimæ varietates corporis ab ætate omnino pendent.”

GREGORY.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

—
EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

NOVERCÆ MEÆ DILECTISSIMÆ

QUA PIETATE DECET,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

Cui, præ te, Noverca carissima, has paginas melius inscribam, pro cura vere materna, cum qua me semper fovisti, et quæ, Matre absente, diu mihi in loco parentis fuisti? Hoc igitur tentamen, animi in Te semper gratissimi, lene pignus, ob solitudinem, qua meam tenebram ætatem defendisti, et juventutem haud minus exemplo, quam præceptis, omnium bonorum artium amore imbueri conatus es, testimonium, accipias, quæro; et pro certo habeto, dum spiritus hos reget artus, amicitiam tuam nunquam obliturum.

“ Eternal blessings crown my earliest friend,

“ And round her dwelling guardian saints attend.”

GOLDSMITH.

Dabam Edinburgi,
Kalendis Augusti
An. Salut. hum. 1825. }

James Wardforde Esq^r with best
wishes from his sincere friend

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCROFULA.

PETRO HENNIS Auctore.

OMNIUM studiorum quibus mens humana occupatur, nullum studio acri dignius est, quam ars medendi, quippe quæ dolores levat, et eis morbis implicitis opitulatur; atque quando nihil scrutatione magis dignum est, nihil magis investigatione eget.

Quoniam illis lauream medicam petentibus, pro more et legibus hujus almæ celeberrimæ Aca-

demiæ, aliquid de re medica dicere oportet, Scrofulam e morborum exercitu, quibus affligitur genſ humanum, pro disputationis argumento selegi; ac nullus fortasse morbus, medicorum animum magis meretur, quam scrofula, cum ob impetus frequentiam tum ob ærumnas miseriasque hominis cui misero subest. Interim, fateor me hæc verba HORATII,

“ Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam

“ Viribus, et versate diu quid ferre recusent

“ Quid valeant humeri,”—

omnino oblitum esse, cum primum scribere de Scrofula instituerem, aut tam difficile argumentum tractare; iterum iterumque dubitassem, cui experientia multorum annorum in medicinæ usu, maxima observatione peractorum necessaria esse videtur. Tamen spero, ut quæ dicere habeo notatu non indigna possint.

HISTORIA MORBI.

SCROFULAM, quamvis male intellectam maleque aliis morbis secretam, priscis temporibus sæ-

visse, ab antiquissimis scriptis compertum habemus. Apud Græcos scriptores appellabatur *χοι-
gas*, nomen etiam pro sue positum; propterea
quod in hoc animale sæpissime sese ostendit, quo-
que inter Latinos nomen Scrofulam aut Strumam
habet; Scrofulam a scrofa, nomen quod sui com-
mune est; et *strumam*, ut quibusdam placet,
quia structim quasi ascendat. Aliqui scriptores
hoc ultimum vocabulum glandulæ thyroideæ in-
durationi, quæ Swiss et Tyrolese propria est, ap-
posuerunt. Etiamque struma apud Anglos no-
men "*King's evil*" sibi accepit, ex vana reli-
gione, ut quibusdam eorum regibus amovendi po-
testas fuisset.

Scrofula, ex magna frequentia, his regionibus
endemia esse videtur, variis imaginibus formisque
se sistens, ac multas sævitiae gradus pernimum
induens. Huic morbus tam mitis est, ut vix per-
spici possit; dum in aliis tam severiter æstuat, ut
maxima misericordia dignos miseros ægros red-
dat.

Nulla ætas, nullus sexus, vitæ nulla conditio,
corporis nulla pars, scrofulæ impetibus tutamen
affert. Hujus autem imperio infantes obnoxii
magis sunt.

Hoc malum primo aut secundo anno vitæ sese rarius manifeste ostendit; a tertio usque ad septimum annum suæ existentiae signa generaliter præbet; sed tamen limites tam arcti non cohibent, nam homo, a momento vitalem auram hauriendi, usque ad tempus pubertatis, ejus imperio obnoxius est. Postea suam primam oppugnationem raro infert; tamen exempla sunt, quibus multo diutius latisse videtur.

DE DEFINITIONE.

Hic morbus in classe Cachexiarum et ordine Impetiginum a celeberrimo CULLENO locatus est, hisceque verbis sequentibus breviter ac minute describitur: “Glandularum conglobatarum, præsertim in collo, tumores; labium superius et columna nasi tumida, facies florida, cutis lævis, tumidum abdomen.”

Scrofulosis quidam corporis habitus fere adest, qui quibusdam externis signis bene insignitur. Vultus floridus et mollis; cutis lævis; facies candida tereteque limatione induta; oculi cœrulei, pupillis dilatis et tunica albuginea livide alba;

crines linteï aut fulvi. Autem notandum est, homines in quibus nulla signorum supra enumeratorum adfuerunt, quorum oculi, facies capilli-que fusco colore imbuti sunt, scrofula tentavisse, et secundum quosdam auctores in iis insolito furore æstuat. Etiamque palpebrarum margines sub teneritate laborant, in molestam inflammationem sæpe degenerante, quæ ægrum duratione premit et minime gratam turpitudinem facit. Labium superius columna-que nasi frequenter intumescuntur.

Liberi hac constitutione præditi, nitidi ac pulchri apparent; perfectionem animi et ingenii multo præ annis habentes; sed iste vigor muscularis, qui athleticis semper adest, scrofulosis omnino deesse videtur, laborisque nequaquam patientes sunt; nam extemplo vires insitæ se deficient.

Omnes corporis partes, glandulæ, muscoli, viscera, membranæ, tendines, ossaque, strumæ tentationibus patent, et, si quibusdam auctoribus credendum sit, cerebrum nonnunquam infestat. Apud creberrima strumæ indieia, tumores glandularum lymphaticarum, præcipue juxta cervicem, inveniuntur, quæ sine ullo prævio morbo intumescunt,

magnamque molem sæpe attinent, priusquam aliquis oculos in se convertunt. In glandulis lymphaticis, sicuti propriis sedibus, struma tam sæpissime apparens, multos medicos, inter quos primum locum rite celeberrimus CULLENUS tenet, Scrofulam ex mala lymphaticorum habitudine suum ortum trahere, illixit. Sed permultæ aliæ partes corporis humanæ, glandulosam structuram pernimum exhibentes, viz. ulnarum, talorum, digitorum, aut manus aut pedis articulus, hujus morbi ab origine sedes sunt, et hic, parvos mobilesque tumores, sed tumorem fixum, totum articulum circumdantem, ejusque motum impedientem, non inveniemus. Quum primum struma glandulas invadit, in plurimis exemplis, tam gradatim aggreditur, ita ut sub oculorum sensus non cadat; tarde procedit; nec dolore, aut cutis coloris mutatione, nonnunquam conjungi solet. Hæc signa supra enumerata, sequentem conclusionem deducere rationem dant nobis,—inflammationem, si ulla sit, tardam, mitemque (ac insolitam tumefactionem partis morbo correptæ quæ latus strumæ semper claudit,) natura ignava esse. Hi tumores, formas duas sibi assumunt; hic mollis est, vi resiliendi non præditus, doloris, nisi gra-

viter prematur, ut plurimum expers, obtegensque cutis caloris naturalis, et in hoc statu diu perstare solet. Ille est, ubi tumor magna firmitate præditus, amplior evadit, iterumque mollescens, gradatim intus sensum obscurum fluidi subtus tactu perspicui reddit, inflammationem patitur, dolet, partibus vicinis adhæret, tandemque in suppurationem ruit. Interea cutis inflammationem ulcerantem induendi quomodo impotens, tandem purpureum colorem induit; uno alterove loco rumpit, et ex plurimis foraminibus, humor, primo tenui puri similis, brevi autem serosus, cum aliquo lactis coagulati instar admistus, fertur. Tumores pedetentim subsident, dum aperta in ulcera forma irregulari sese extendunt, et post aliquot tempus hæc ulcera ad sanationem properant; dum aliæ tumores in alias diversas partes corporis formant, et eodem modo supra enumerato, in suppurationem ruunt. Sic in hoc modo vetera sanantia, nova renascentia progrediuntur, donec morbus quasi tandem confectus omnia ulcera plerumque e toto sanantur, at cicatrices nunquam delendæ relinquuntur. Hæc mitissima forma morbi sub qua Scrofula plerumque apparet. Secundum corporis habitum et scrofulosam diathesin, ejus im-

petus plus minusve variant. Ubi morbus magis virulentus videtur, oculi morbi præcipue sedes sunt, et ophthalmia affecti sunt, quæ ulceratione tarsum tunicasque oculi ipsius haud raro occupat; et in nonnullis quidem exemplis adeo vehemens est, ut corneæ lucidæ opacitas morbi sequela est.

In eodem modo articuli struma occupantur; tumescunt, et diris doloribus premuntur, quæ minimo motu aggravantur. Interea tumor, dolor magis magisque crescunt, ac musculis partis affectæ macie confectis in fine suppurant, et fluidum vix albidum per multa foramina emittitur. Hic humor tanta acrimonia est præditus, ut ligamenta et cartilagines erodantur, et ossa vicina carie devorentur.

Omnium artuum, genu Scrofulæ opportunius est; cæteri autem, viz. coxa, talus, cubitus, &c. immunes minime existunt: humerus, meam observationem usque struma minus frequenter corripitur, sed tamen nullo modo etiam periculi expers est. Morbi prior forma Hydrarthus dicitur, Anglice "*white swelling*." Sensu rigiditatis, vel profundius, obscurius, gravis doloris, cum membrum extendatur, plerumque primo incipit. Hic dolor

primo levis, nullusve, sed motu, aut in eadem positione diu manente semper auctus, et patienti genu semiflexum est, atque ambulando nunquam perfecte extendit. Hæc conditio per multos menses sæpe perstitit. Sed generaliter, dolor plus minusve auctus est, pars affecta tumet, et membrum infra et supra indies tabescit; et nunc genu extendi nequit. Denique tumore haud parvum aucto, motus fluidi quasi profundi siti perspiciqueat; discoloratio cutis nunc adest; ligamenta cartilagines ulceribus, ossaque partium vicinarum carie eroduntur. Demum tumor rumpit, et humor tenuis albidus, coagulis admistus, manat; vires corporis indies labuntur, et purulenta humore in systemate absorpta, febris hectica agmen extremum ducit, quæ nisi membrum opportune amputetur, ægrum e medio abrepit. Morbus coxarius affectui supra enumerato similis eos indole scrofulosa præditos sæpe invadit, et tam gradatim insidioseque obrepit, ut vix perspicipossit, priusquam magnos passus mensus est. Ægrotus primo claudicat, pedis digito ambulat, et multo prius labore confectus est, quam si salute perfecta patiretur. Nunc dolorem gravem pone trochanterem magnum conquerere incipit;

sed tamen de dolore inguine ac genu lateris affecti maxime solitus est; tumor superiorem partem cruris complectens prodit, auget, sed nulla externa inflammatio videri datur, neque dolor urget nisi membro permoto.

In hoc modo morbus quibusdam per duos aut tres annos, viribus ægri magis magisque indies imminutis, sæpe sese lente extendet; dum in aliis febris hectica filum vitæ celerius rumpit.

Alia forma sub qua struma apparet, tabes mesenterica est: infantes inter primum et septimum vitæ annum plerumque adoritur, languore generale, dolore ac tumore abdominis, facie pallida, musculis præter solitum solutis, infante affecto, et exercitatione omnimodo averso. Ingens sitis, appetitus varius, modo rapax, modo deficiens est; spiritus foetide olet, pulsus debilis et frequens, alvus fere irregularis et crebris torminibus cruciatur, neque solitis remediis demotis; dejectiones foetent, colorque earum luto simillimus est; interea totus corpus tabescit, et mors coronat opus. Hæc sunt signa tabis mesentericæ. Post mortem glandulæ mesentericæ ampliatae et induratae, structura mutatae, et suppuratione affectæ reperiuntur; quæ signorum externorum, viz. debilitatis et maciei, ratio-

nem reddit. Viis per quas chylus in vasa sanguinea transit obstructis, corpus nutrimento proprio privatum est. Tamen notandum est, aliquando accedit, ut nulla externa signa morbi observari possunt, cum primum invadit, et infans indies consumitur, usque donec nihil corporis vix reliquum est, præterea quam ossa cute obducta.

Sub nulla forma magis exitiale Scrofula in hominem ruit quam Phthisis Pulmonalis. Hæc teterrima pestis sese raro ostendit antequam ejus hostia annum decimum quintum attigit. In primo stadio pulmonum morbo affectorum, quando tuberculæ aut scrofulosæ depositiones paucae aut parvæ sunt, morbi existentiam certam facere nullo modo possibile est. Sed ut copiae earum crescunt aut augentur, tussis, primo sicca, postea cum expectoratione, pure, nonnunquam cruore admista, difficultas spirandi post aliquam exercitationem, dolorque obtusus lateris vel cujusdam partis thoracis, prima signa morbi sunt. His symptomatibus aliquamdiu existentibus, quo tempore pulsus in plurimis præter naturalem frequens est, corporis emaciatio, et in finem febris hectica et diarrhœa veniunt.

Alia et haud minus timenda est species, ubi in auris processum mastoideum sese concitavit. Casus patientium symptomatibus cerebri compressi morientium, quando post mortem cariota inventa est pars petrosa ossis temporalis, narrantur. Optima exempla hujus ultimæ affectionis in collectione Doctoris MONRO videnda sunt.

Scrofulosus pro sua mole purulentæ emissionis plus continet, quam abscessus phlegmonoideus; sed etiam hic ultimus abscessus in persona indole strumosa, signa labis scrofulosæ sæpe indicat. Hoc in progressu bubonum venereorum in illis bene notandum sit. Ulceribus, in Scrofula, margine rubro aut potius purpureo colore, superficie glabra, fimbriis attenuatis; et ulcus ipsum subter partibus vicinis depressum est; vix ulla inflammatio adest; et sanies, quæ ex ulceribus exit, viscida, albida, et naso sæpe ingratissima.

CAUSÆ.

PROCLIVITATEM huic morbo a parentibus in natos derivatam verum dicere est, quod bene negari nequeat; unde morbus hæreditarius jure existimatur; quod dictum hanc vim habet, natos e

parentibus Scrofulæ proclivitatem exhibentibus morbo magis obnoxios esse, quam qui e parentibus morbi indicia nunquam monstratis, nati sunt.

Tamen quidam auctores non parvi nominis, in dubium hanc sententiam vocant, et Scrofulam aut aliquem morbum e labe hæreditaria derivatam prorsus abnegant; et ad opiniones suas stabilendas, argumenta sequentia proferunt, viz. iis struma laborantibus nulla signa morbi congenita esse; liberos quorum parentes morbo prensi sunt, eo immunes fuisse, ac in personis, nulla labe hæreditaria aut prædispositione existentibus, sese ostenderat. His respondere paucis verbis opus erit.

In corpore humano talis conditio partium solidarum ac fluidarum, vel constitutio corporis existit, qualis hominem peculiaribus morbis obnoxium reddet, causis excitantibus oblatum. De transmissione Scrofulæ, per unam alteramve generationem sæpe silet, et in tertio iterum erumpit, bene notum est. Sed hoc in nullo modo labem hæreditariam invalidat; nam morbus ipse, sed prædispositio persona non congenitus est. Nunc omnium consensu datur, prædispositionem solam ad Scrofulam aut alium morbum gignendam, in-

valere. Ergo in hoc modo, strumæ e conspectu existentis, per unam aut duas generationes, hanc rationem dare volumus; Scrofulæ proclivitatem intermediis individuís adesse; sed causis excitantibus absentibus, consopitam. Etiamque si plura hanc opinionem causa vindicandi, dicere necesse esset, non melius est mihi, quam verba sequentia Doctoris THOMÆ citari: "That a peculiar temperament of body, bias or predisposition in the constitution to some diseases, may extend from both father and mother to their offspring, is, I think, very clearly proved: for example, we meet with gout in young persons of both sexes, who could never have brought it on by intemperance, sensuality, or improper diet, but must have acquired the predisposition to it in this way."

Quod ad alteram opinionem attinet, hunc morbum ex causis externis solis gigni posse, nemo nunc dubitat; et si hanc aut illam opinionem causa defendendi dicere plura requireret, verba Doctoris J. THOMPSON vobis offero,—*De Inflammatione*, p. 52. sect. 4.

Omnia quæ vires corporis prosternant, causæ excitantes hujus morbi habeantur; hinc febribus, rubeolæ, variolæ, scarlatinæ, etiamque aliis infir-

mantibus morbis nonnunquam supervenit : sed tamen omnis parum consueta, etiam ad parvum tempus expositio, frigoribus aut humiditati, aërem impurum factum anhelans, sine ulla exercitatione ; diæta parva, aquosa, insalubris, et parum nutriens ; sordes, immundities, loca humula, frigida ac paludosa occupans, maleque vestitus, (hinc liberos pauperum plusquam divitum vexare solet) ; necnon ictus, contusiones, aut vulnera externe illata, sunt etiam inter causas excitantes usitatissime recensenda.

Sed cœlum præ aliis hunc morbum præcipue producit : ubi regiones frigidaë ac humidaë, mutationes tempestatum subitaë ac frequentes, aërque gelidis humidisque exhalationibus onustus, frigoris et caloris vicissitudines repentinaë sunt, ibi dirissima graditur pestis communis : quamobrem in his insulis sese tam late diffundit et insævit, præsertim quando apud nos, quatuor anni tempora in parvo spatio unius diei adspicere potes.

Quoniam his diversis regionibus in quibus calor frigusque vix tolerabiles sunt, æque pepercit, Dom. RUSSELL carcere a gradu latitudinis septentrionalis 45° ad 60°, hanc teterrimam pestem deteneri censet. Strumæ impetus, ab anni tem-

pestatibus quodammodo pendere videtur; circa tempus hiemis incipiunt, tempore verno crescunt, et æstate autumnoque evanescunt vel saltem minuuntur.

De causa hujus morbi proxima auctores inter se multum discrepant, ac multas conjecturas, sed vero non suffultas, in medium protulerunt: pauca hic recensere non prorsus inutile erit. Acidum totam circulationem pervadens, pro proxima causa Scrofulæ WISEMAN habuit. CULLENUS illustrissimus, cuidam acrimoniæ fluidorum et peculiari formationi glandularum lymphaticarum hunc morbum attribuit.

Dr THOMAS Scrofulam ex habitu corporis tenero, atonia, laxitate generali solidarum; et debilitate totius hominis, oriri opinatur. Si nunc aliquis me quæsiverit, quænam vera hujus morbi causa sit, fateor me ancipiter hære; et donec leges œconomiae animalis satius intellectæ fuerint, dicere pro certo non possum. Forsitan ab aliqua depravata conditione salutis generalis, nunc nato co-existente, nunc læsis vitalibus functionibus, inductis, per negligentiam diætæ, viscerum abdominalium, et alias fortuitas causas, pendente, oritur.

DIAGNOSIS.

MORBI, quibus Scrofula confundi potest, sunt varii et multi; sed tumores phlegmonoidei, scirrhiq̃ue, steatomata, ulcera, caries ossium ex aliis morbis, et cancer, præcipui sunt. Quando Phlegmon in corpore strumæ inclinato suboritur, tumor est rubrior, inflammatio et dolor adsunt, citius in suppurationem ruit, et pus quod effundit, ab scrofuloso humore plurimum distet. A Scirrho facile dignoscitur, quod ille glandulas conglomeratas tenet, autem struma glandulas conglobatas sibi maxime vindicat, etiamque scirrhus inflammationi præcedenti plerumque supervenit, sed tumor scrofulosus præcedit. Steatoma in tela cellulosa non in systemate lymphatico formatur, et omnes partes corporis pariter invadit. Si Caries Ossium hoc strumæ proclives adoritur, a carie venerea facile secerni potest; nam hic extremitates ossium et ubicunque substantia eorum reticulata est, et materia quæ emanat, nigra et fœtida est; ille ossa duriora mediaque potissimum afficit. Struma et cancer medicos sæpe fefellerunt, et

unum pro altero captum est. Sed de signis quibus struma ab cancro dignoscatur, haud multis verbis opus est. Scrofula in teneris annis generaliter apparet, dum cancer hos ætate provectos nocere gaudet. Glandulæ lymphaticæ atque ossa sunt partes strumæ procliviores; dum glandulas secernentes, hepate excepta, sed nunquam ossa, cancer devastat.

Hac omnia signa errori tamen obnoxia sunt, et in iis fidem reponere non semper tutum est. In his casibus ex causæ excitantis scientia, historia et habitu ægroti, diagnosis capi debet.

PROGNOSIS.

IN hujus morbi nostram prognosin formando, multæ ac variæ res, viz. morbi natura, amplitudo sedesque, ægroti ætas, corporis habitus, &c. maximam attentionem sibi vindicant. Scrofulosi affectus, sedes in externis partibus solum habentes parum periculum minant; sed quando morbus partibus internis insitus est, eventus infaustus semper timendus. Si pulmones efficiatur, periculum magnum instare confitendum est; nam

Phthisis Pulmonalis inde oritur, neque ullis remediis forte adhibendis mortem avertere possumus. Cum glandulam thyroidæam urget, fatalis eventus nonnunquam evenit, nam hæc glandula, oesophagum aut laryngem comprimens, suffocando vel fame consumendo mortem inducit. Quando aliæ internæ species formantur, viz. tabes mesenterica et hydrocephalus, aut articuli tentantur et abscessus inter digitorum aut pedis ossa formari permittantur, vita ægroti in summo discrimine ponitur. Sed vero articulo affecto, et pure formato, si morbum coercendam valeamus, et remedium excisionis in manibus est, damnum vitæ multo minus habeatur quam in plerisque cæteris casibus.

RATIO MEDENDI.

In tota Materia Medica, nulla medicina quomodocunque adhibita, illam qualitatem humani corporis peculiarem, nomine scrofulosæ diathesis gaudentem, cui potestas sit radicitus divellere, existit, et ergo opprobrium medicinæ vocari bene meretur.

Quando hujusce dirissimæ pestis res periculosas nobiscum in animo agitamus, ulla argumenta in medium producere, supervacuum est; juste vigilandi primos accessus, necessitatem monstrare, et hoc præceptum, “Carpe diem, tempus irrevocabile fuget,” in memoria continuo tenere, ut his remediis, quæ ad scrofulam sanandam pertinere arbitrantur, tempore adhibitis, malum, quamvis e stirpe eradicere impossibile est, saltem ejus iter impedire possimus, et exitum fatalem quod his neglectis aliter accedat occurramus.

Duo consilia medendi curatio strumæ amplectitur, unum prophylaticum, (quod maxime in infantes e parentibus strumosis progenitos, spectandum est, priusquam morbus sese aperte ostendit), nempe totum corpus stimulare et firmare, etiamque omnes causas excitantes sedulo evitare. Alterum (post malum sese in aperto edidit), cachexiam generalem corrigere, et quosdam affectus locales, sublevare et tollere. Horum in uno, semita, dando, sanam et integra valetudine nutricem, soboli parentum scrofulosorum, patet, ut prædispositionem hæreditariam ex utero reficiamus, tempusque lactandi, diutius solito prorogare idoneum erit. Omnem corporis immundi-

tiem, aërem impurum, qualis magnas urbes circumdat, quod multum nocet, sedulo evitemus; itinera ad loca ruralia, ubi cœlum temperate calidum siccum, et parvum mutabile est, suscipienda; mane nocteque infantes lavare, et, quod melius est, ex aqua frigida submergere, bonos effectus habebit, etiamque exercitatio ad corpus firmandum maxime valet.

Indumenta infantibus, ad tempestatem anni cœlumque idonea essent, nec nimiae in aprica æstate, nec minime vestiti cum improbus Jupiter urget; in his regionibus lanosa subicula tunicis eorum strumæ procliviorum omni tempore anni subesset. Ventriculi et chylopoëticorum viscerum affectiones in iis strumosa indole præditis, prima indicia morbi instantis plerumque sunt; propterea minima signa malæ habitudinis corporis in iis sedule vigilari debent, et in germine uri si possibile sit.

In altero, cum signa scrofulæ revera sese produnt, præter rationem in prophylaxi datam, in quo vires firmare propositum est, ad eas res confugiendas, quæ ullo modo pollent ad hanc pestem occurrendam; sed in malo per totum corpus tam diffuso, et tam varias facies et effectus præstante,

nulla una ratio medendi est, quæ in omnibus casibus stadiisque morbi æque applicari potest.

Sed tamen pro his propositis supra enumeratis, viz. cachexiam generalem corrigere, et quasdam effectus locales sublevare et tollere, tres remedia ex usu ducuntur; primum præscriptum victus regimen,—secundum in materia medica inveniendum est, et tertium in externis applicationibus consistit.

Nil confert magis quam diæta et regimen affectiones scrofulosas jam constitutas cohibere, et præsertim diæta maximi momenti est. Quantitas, genusque cibi considerandæ sunt; nam ventriculo nimium distento, digestio male efficitur; et si genus ciborum non idoneum sit, functiones digestionis imminuuntur, itaque constitutio enervatur, et sic frustra ulla remedia exhibemus. Diæta levis, nutriens, et quæ facile concoquitur, ex maxima parte e carnibus animalium confecta, caroque animalium tenerorum anteferenda; et cavendum est, ne ventriculus nimium distentus esset. Potus, qui non stimulat, optimum convenit; forsitan aqua fontana optima est, aut vinum, aut cerevisia fortior, vulgo "*porter*" dicta, modice sumpta, bonum potum præbet; sed usus

horum ex rebus maxime pendet, et necesse est ut prudentia in eorum usu medicum dirigeret: si utri opus sit, vinum Hispaniæ aqua gelida dilutum maxime convenit.

Exercitatio modica, ordinata, sed non diutius protracta, ad vigorem totius corporis multum confert; parumque est, quæ species exercitationis, dum intra has limites sit. Secundum Dom. RUSSELL, infantibus vel infirmissimis frictio manibus plurimum prodest.

Vicissitudines cœli (quæ causæ excitantes sunt) omni modo prævertere nobis oportet; et omnia quæ reddent corpora frigori obnoxia; hinc lamula ad cutem applicata, ususque balnei frigidi prudens prosunt; sed conclavia calefacta et exercitatio profusa sedulo evitanda sunt. Etiamque scrofuloso sese domum tempestive recessere, prima ire nocte cubitum ire et diluculo surgere saluberri-
mum est.

In hoc loco, notandum sit, ut, in mea opinione, emigratio ad regiones ubi cœlum calidum et temperatum est, nullo modo prædispositionem strumæ radicitus divellere pollet; sed illam (absente causa excitante) consopitam reddat, etiamque individuus vestigia retractans, et ad causas

excitantes ablati, in magnum periculum sese infert, ubicunque ad illam decurritur, a teneris annis incipiendum et ultra tempus pubertatis prorogandum est. Sic forsitan proclivitatem dirissimæ formæ, viz. Phthisi Pulmonali, hujus morbi corrigamus, etiamque ab aliis sed minus fatalibus formis, immunitatem nequaquam comparamus, observando ut prædispositio variis formis, sub quibus struma sese præstat, ab ætate multum pendat, hujus rationem reddat.

In corpore humano, certæ functiones, vitales dictæ, existunt, sine quorum justa peractione, homo non potest vigere; itaque earum conditionem diligenter vigilare, ullisque sese male habentibus inventis, ad integrum statum, quamprimum revocare debemus. Quandoque in strumosis, conditio depravata viscerum chylopoieticorum frequentissima est, intestinas, secretionemque hepatis regulare maximi momenti est, tam evitando, quam morbum corrigendo.

Si ea, quæ supra attulimus, nostrum votum consequi non idonea sint, tunc ad secundam rationem, viz. materiam medicam, confugiendum est; et ubi vasto, magno remediorum catalogo, oculos meos adverto, heu!

“ — raros nantes in gurgite vasto,

“ Aspicio,”

quibus labem strumosam corrigendi, ulla potestas sit. Hæcque perpauca sub tribus capitibus complectuntur, viz. medicamentis purgantibus, tonicis, et stimulantibus. Ad primum horum, ultimo decurrendum, si regimen et ratio diætetica jam-jam enumerata, conditionem sanam, et indies evacuationem viscerum abdominalium efficere impotentes inveniuntur: hac intentione, ullum mite purgativum utendum sit, forsam amara aut resinosa maxime conveniunt.

Cortex Peruvianus, ferrum, liquor arsenicalis, acidique minerales, sunt præcipua tonica quæ ullam utilitatem in hoc morbo præbent; st secundum meam observationem Ferri Carb. et liquor arsenicalis, pueris et puellis, anteferenda præ omnibus.

Stimulantia sunt, Hydrargyrum, sales medii, iodina, vinum, et balneum marinum. Hæc omnia ad corpus roborandum, adjuvantia, (modo phlogistica diathesis non adest), a medicis pro re nata adhibentur. Omnium ex hydrargyro præ-

paratorum, Sub-mur. Hydrarg. efficacissimum videtur, et prout res postulat, in parvis portionibus, effectu purgationis sedulo evitato, maxime profuisse novi.

Inter sales, aqua marina multum laudatur; sed, me judice, spes, animi stimulatio, exercitatio inter iter faciendum, aëris mutatio, societas, et anni tempestas, sunt quæ famam ejus sustulerunt. De usu iodinae, quamvis in multis casibus, largo mænn datum vidi, nil boni est mihi dicere.

Balneum marinum, præsertim frigidum, si vires ægri ferant, omnibus anteponendum, et multum commodi secum sæpe affert. Sed hæc omnia medicamenta, tonica stimulantiaque dando, multam prudentiam, medicum dirigere necesse est, enim usus eorum primo aspectu postulari videntur, tamen investigatione magis accurata, symptomata, viz. capitis dolor, albida lingua, et peculiaris pulsus frequentia, (pulsu ex debilitate pendente multo distans), aliquam inflammationem localem plane indicantia, et modum curationis diversissimam ab hoc supra enumerato postulantia, inveniuntur. Sub nulla forma hujus mali, quam incipiente Phthisi Pulmonali, hoc frequentius accidit.

Applicationes topicæ, nisi prioribus consiliis conjunctæ, frustra præscriptæ sunt; tamen sub his regulis, aliquæ necessariae utilesque sunt. Sic ubi glandularum tumores et strumosæ amplificationes sese primo exhibent, quamprimum resolvendæ sunt, et earum suppuratio omni modo prævenienda est. Ad hoc, hirudines, lotio saturnina, cataplasma emolliens, conium maculatum, unguent: hydrarg: et aura electrica, plurimum utuntur. Quando tumores sunt profundi, prope aut circa magnos articulos, epispastica, setacea, et fontanellæ, multo commendantur.

Si, his remediis frustratis, tumor in suppurationem ruat, aperiendum suaderem, præsertim si articulo propior sit; forsan setacea huic consilio optime respondebunt. Ulcera strumosa, æquis passibus, cum conditione generali corporis sæpissime currunt; sed si nostræ expectationes hoc falluntur, sequentiæ,—cataplasma cicutæ, unguentum hydrargyri nitrico-oxydi, lotio liquoris arsenicalis, aut æquæ marinæ, exitu secundo applicantur. Tamen in nullis horum, nimia fiducia deponeatur; nam ægrotos et medicos iterum iterumque fefellerunt; sed in memoria continuo tenere

debemus, diætam et regimen maximas ancoras
 esse, et, his neglectis, frustra enitemus ægrum
 servare.

FINIS.







